

Varia de Baptismo D. N. I. C.
ex Ludolpho de Saxonia.
(VITA IESU CHRISTI, PARIS 3, CAP. 27.)

1087 Sic ergo in hoc opere excellentissimo tota Trinitas modo singulari se manifestando apparuit, large apparitionem accipiendo; et sic Trinitatis praesentia baptismum consecratur. Pater apparuit in voce, Filius in homine seu carne, Spiritus sanctus in columba. Differenter tamen, quia Filius apparuit in homine in unitate suppositi; sed in apparitione aliarum personarum erat unio per modum signi. Caro enim unita erat Filio in unitate suppositi; vox autem et columba non habebant unitatem suppositi cum Patre et Spiritu sancto, sed tantum in praesentatione signi. In columba ergo fuit Spiritus, non Spiritus fuit columba, quae ei tamen non fuit unita; non enim fuit incolumbatus, quia praeter naturam humanam nunquam creatura aliqua fuit Deo personaliter unita; nec inluit ei per gratiam, sed per apparitionem et signum; quae peracto officio suo post apparitionem, in primordialiam, et praeciuentem materiam rediit, unde sumpta fuerat, sicut etiam sentitur de aliis figuris in quibus Dominus apparuit. Apparuit autem mysterium Trinitatis, Domino baptizato, et non cum baptizaretur; quia cum non egeret gratia mundante, non est baptizatus baptismo suo, sed Ioannis. Baptismus autem Ioannis dabatur in nomine venturi; Baptismus vero Christi datur in nomine Trinitatis; et ideo non decuit in actu baptismi, sed postea nomen Trinitatis explicari, ut distantia pateret inter baptismum Ioannis, qui non in nomine Trinitatis dabatur, et inter baptismum Christi, cui haec forma servabatur. Et per talem apparitionem Trinitatis baptizato Christo factam, significatum fuit quod baptismum deberet conferri in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. In primitiva tamen Ecclesia, ad tempus, collatus fuit baptismus in nomine Christi, ut nomen Christi in reverentia haberetur maiori, ad excludendum illorum errorem qui virtutem baptismi attribuunt ministris, dicentes: *Ego sum Pauli, ego autem Cephae*, etc., sed illis causis cessantibus, rediit Ecclesia ad formam praedictam. Et ponitur hic triplex effectus baptismi, quem baptismus causat, maxime post Passionem Christi, scilicet: coeli apertio, quia coelorum regna patent renatis in baptismo; Spiritus sancti missio, cuius gratia ac donum confertur in eo; et paterna locutio, quae baptizatos regenerat in filios adoptionis, qui sibi complacent, quia per Baptismum de filiis

^a Quoniam sensu id intelligi debeat, habetur in Cat. Rom. de Baptismo, n. 15. Pro in nomine Christi, intellige in forma tradita a Christo.

irae sunt filii gratiae, et regenerantur in vitam aeternam. Considera haec singula diligenter et erige animum, ut aperto iam Trinitatis coelo, sursum feraris in Deum. In humilitate quoque mentis persiste, ut Spiritus sancti dono et paterno colloquio munerari merearis. Unde Anselmus: "In Iordane, sub manu Ioannis se ad baptismum Christus inclinans, paternam vocem audivit, et Spiritus sancti adventum in columba suscepit, ut nos doceret in humilitate mentis, quae per Iordanem notatur, Iordanis enim *descensio* eorum interpretatur, debere consistere, ibique supra Patris honorari colloquio, de quo dicitur: *Quia cum simplicibus sermocinatio eius*; et Spiritu sancti praesentia sublimari, qui super humiles requiescit, et hoc sub manu Ioannis, qui *Dei gratia* dicitur; ut eidem gratiae quiddam a Deo percipimus, non nostris meritis adscribamus": haec Anselmus.

DOMINICA IN SEPTUAGESIMA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. XX, 1-16.

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum coelorum homini patri familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.

2. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.
3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos,
4. et dixit illis: Ite et vos in vineam meam, et quod iustum fuerit dabo vobis.

5. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam et nonam horam: et fecit similiter.

6. Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi?

7. Dicit ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite et vos in vineam meam.

8. Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineae procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos.

9. Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.
10. Venientes autem et primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi: acceperunt autem et ipsi singulos denarios.

11. Et accipientes murmurabant adversus patrem familias,

12. dicentes: Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, et aestus.

13. At ille respondens uni eorum, dixit: Amice non facio tibi iniuriam: nonne ex denaro convensisti mecum?

14. Tolle quod tuum est, et vade: volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi.

15. Aut non licet mihi quod volo facere? an oculos tuos nequam est, quia ego bonus sum?
16. Sic erant novissimi primi, et primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

Homilia S. Gregorii Papae.

HOMILIA XIX. in EVANGELIO. *Habita ad populum in basilica beati Laurentii martyris, Dominica in Septuagesima.*

1088 **U**N explanatione sua multa ad loquendum sancti Evangelii lectio postulat, quam volo, si possum, sub brevitate perstringere: ne vos et extensa processio et proluxa expositio videatur onerare. Regnum coelorum homini patrifamilias simile dicitur, qui ad excolendam vineam suam operarios conducit. Quis ergo patrifamilias similitudinem rectius tenet, quam Conditor noster, qui regit quos condidit, et electos suos sic in hoc mundo possidet, quasi subiectos dominus in domo? Qui habet vineam, universalem scilicet Ecclesiam, quae ab Abel iusto usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit. Hic itaque pater familias ad excolendam vineam suam mane, hora tertia, sexta, nona et undecima operarios conducit: quia a mundi huius initio usque in finem ad erudiendam plebem fidelium praedicatorum congregare non destitit. Mane etenim mundi fuit ab Adam usque ad Noe. Hora vero tertia, a Noe usque ad Abraham. Sexta quoque ab Abraham usque ad Moysen. Nona autem a Moysen usque ad adventum Domini. Undecima vero ab adventu Domini usque ad finem mundi. In qua praedicatorum sancti apostoli missi sunt, qui mercedem plenam et tarde venientes acceperunt. Ad erudiendam ergo Dominus plebem suam, quasi ad excolendam vineam suam, nullo tempore destitit operarios mittere: quia et prius per patres, et postmodum per legis doctores et prophetas, ad extremum vero per apostolos, dum plebis suae mores excoluit, quasi per operarios in vineae

cultura laboravit. Quanvis, in quolibet modulo vel mensura, quisquis cum fide recta bonae actionis existit, huius vineae operarius fuit. Operator ergo mane, hora tertia, sexta et nona, antiquus ille hebraicus populus designatur, qui in electis suis ab ipso mundi exordio dum recta fide Deum studuit colere, quasi non destitit in vineae cultura laborare. Ad undecimam vero gentiles vocantur, quibus et dicitur: *Quid hic statis tota die otiosi?* Qui enim transacto tam longo mundi tempore, pro vita sua laborare neglexerant, quasi tota die otiosi stabant. Sed pensate, fratres, quid inquisiti respondeant: *Dicunt enim: Quia nemo nos conduxit.* Nullus quippe ad eos patriarcha, nullus propheta venerat. Et quid est dicere: Ad laborem nos nemo conduxit, nisi, vitae nobis via nullus praedicavit? Quid ergo nos a bono opere cessantes, in excusatione nostra dicturi sumus, qui pene a matris utero ad fidem venimus, qui verba vitae ab ipsis cunabulis audivimus, qui ab uberibus sanctae Ecclesiae potum supernae praedicationis sumpsimus cum lacte carnis?

1089 Possumus vero et easdem diversitates horarum etiam ad unumquemque hominem per aetatum momenta distinguere. Mane quippe intellectus nostri pueritia est. Hora autem tertia adolescentia intelligi potest: quia quasi iam sol in altum proficit, dum calor aetatis crescit. Sexta vero iuventus est; quia velut in centro sol figuratur, dum in ea plenitudo roboris solidatur. Nona autem senectus intelligitur, in qua sol velut ab alto axe descendit; quia ea aetate a calore iuventutis deficit. Undecima vero hora ea est aetas, quae decrepita vel veterana dicitur. Unde graeci valde seniores, non γέροντες, sed προγυράροι; appellant, ut plus quam senes esse insinuent, quos proveciores vocant. Quia

ergo ad vitam bonam alius in pueritia, alius in adolescentia, alius in iuventute, alius in senectute, alius in decrepita aetate perducitur, quasi diversis horis operarii ad vineam vocantur. Mores ergo vestros, fratres carissimi, aspice, et si iam Dei operarii estis, videte. Penset unusquisque quid agat, et consideret si in Domini vinea laboret. Qui enim in hac vita ea, quae sua sunt quaerit, adhuc ad dominicam vineam non venit. Illi namque Domino laborant, qui non sua, sed lucra dominica cogitant, qui zelo charitatis, studio pietatis inserviunt, animabus lucrandis invigilant, perducere et alios secum ad vitam festinant. Nam qui sibi vivit, qui carnis suae voluptatibus pascitur, recte otiosus redarguitur, quia fructum divini operis non sectatur.

1090

Qui vero et usque ad aetatem ultimam Deo vivere neglexerit, quasi usque ad undecimam otiosus stetit. Unde recte usque ad undecimam torpentibus dicitur: *Quid hic statis tota die otiosi?* Ac si aperte dicatur: Et si Deo vivere in pueritia et iuventute noluistis, saltem in ultima aetate respiscite, et ad vitae vias cum iam laboraturi multum non estis, vel sero venite. Et tales ergo paterfamilias vocat, et plerumque ante remunerantur: quia prius ad regnum de corpore exeunt, quam hi, qui iam a pueritia vocati esse videbantur. An non ad undecimam horam venit latro, qui etsi non habuit per aetatem, habuit tamen sero per poenam, qui Deum in cruce confessus est, et pene cum voce sententiae spiritum exhalavit vitae? A novissimo autem reddere denarium paterfamilias coepit: quia ad paradisi requiem prius latronem, quam Petrum perduxit. Quanti patres ante legem, quanti sub lege fuerunt, et tamen hi, qui in Domini adventu vocati sunt, ad coelorum regnum sine aliqua tarditate

pervenerunt. Eundem ergo denarium accipiunt qui laboraverunt ad undecimam, quem expectaverunt toto desiderio qui laboraverunt ad primam: quia aequalem vitae aeternae retributionem sortiti sunt cum his, qui a mundi initio vocati fuerant, hi qui in mundi fine ad Dominum venerunt. Unde et hi qui in labore praecesserant, murmurantes dicunt: *Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et aestus?* Ponus enim diei et aestus portaverunt hi, quos a mundi initio, quia diu hic contigit vivere, necesse fuit etiam longiora carnis tentamenta tolerare. Unicuique enim pondus diei et aestus ferre, est per longioris vitae tempora carnis suae calore fatigari.

Sed quaeri potest, quomodo murmurasse dicti sunt, qui saltem sero ad regnum vocantur? Coelorum etenim regnum nullus murmurans accipit: nullus qui accipit, murmurare potest. Sed quia antiqui patres usque ad adventum Domini, quantumlibet iuste vixerint, ducti ad regnum non sunt, nisi, ille descenderet, qui paradisi claustra hominibus interpositione suae mortis aperiret: eorum hoc ipsum murmurasse est, quod et recte pro percipiendo regno vixerunt, et tamen diu ad percipiendum regnum dilati sunt. Quos enim post peractam iustitiam inferni loca, quamvis tranquilla, susceperunt, eis profecto et laborasse fuit in vinea et murmurasse. Quasi ergo post murmurationem denarium accipiunt, qui post longa inferni tempora ad gaudia regni pervenerunt. Nos autem qui ad undecimam venimus, post laborem non murmuramus, et denarium accipimus: quia post Mediatoris adventum in hoc mundo venientes, ad regnum ducimur mox ut de corpore eximus, et illud sine mora percipimus, quod antiqui patres cum magna percipere dilatione

meruerunt. Unde et idem paterfamilias dicit: *Volo et huic novissimo dare sicut et tibi.* Et quia ipsa regni perceptio eius est bonitas voluntatis, recte subiungit: *Aut non licet mihi quod volo facere?* Stulta enim quaestio est hominis contra benignitatem Dei. Non querendum quippe esset, si non dat quod non debet, sed si non daret quod deberet. Unde apte subditur: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Nemo autem se de opere, nemo de tempore extollat, cum hac expleta sententia subsequenter Veritas clamet: *Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi.* Ecce enim etsi iam scimus quae vel quanta bona egimus, adhuc supernus iudex qua subtilitate haec examinet, ignoramus. Et quidem gaudendum cuique summo opere est in regno Dei esse vel ultimum.

1092

Sed post haec terribile est valde quod sequitur: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi:* quia et ad fidem plures veniunt, et ad coeleste regnum pauci perducuntur. Ecce enim ad hodiernam festivitatem quam multi convenimus, ecclesiae parietes implemus: sed tamen quis sciat quam pauci sunt qui in illo electorum Dei grege numerentur? Ecce enim vox omnium Christum clamat, sed vita omnium non clamat. Plerique Deum vocibus sequuntur, moribus fugiunt. Hinc etenim Paulus dicit: *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (Tr. 1, 16). Hinc Iacobus ait: *Fides sine operibus mortua est* (Iacob. 2, 20, 26). Hinc per Psalmistam Dominus dicit: *Annumtiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum* (Psal. xxxix, 6). Vocante enim Domino super numerum multiplicati fideles: quia nonnumquam etiam hi ad fidem veniunt, qui ad electorum numerum non pertingunt. Hic enim fidelibus per confessionem admixti sunt, sed propter vitam reprobam illic nume-

rari in sorte fidelium non merentur. Hoc ovile sanctae Ecclesiae hoc eos cum agnis recipit: sed attestante Evangelio, cum iudex venerit, bonos a malis separavit, sicut pastor segregat oves ab hœdis. Neque etenim possunt qui hic carnis suae voluptatibus serviunt, illic in ovium grege numerari. Illic eos a sorte humilium iudex separat, qui se hic in superbiae cornibus exaltant. Regnum coelorum percipere nequeunt, qui hic et in coelesti fide positi, toto desiderio terram quaerunt.

1093

Et multos tales intra Ecclesiam, fratres carissimi, cernitis: sed eos nec imitari, nec desperare debetis. Quid enim sit hodie aspicimus: sed quid cras futurus sit unusquisque, nescimus. Plerumque et qui post nos venire cernitur, per agilitatem nos boni operis antecedit: et vix eum cras sequimur, quem hodie praecire videbamur. Certe cum Stephanus pro fide moretetur, Saulus lapidantium vestimenta servabat. Omnium ergo lapidantium manibus ipse lapidavit, qui ad lapidandum omnes exsertos reddidit: et tamen eundem ipsum in sancta Ecclesia laboribus antecessit, quem persequendo martyrem fecit. Duo ergo sunt quae sollicite pensare debemus. Quia enim multi vocati, sed pauci electi sunt, primum est, ut de se quisque minime praesumat: quia etsi iam ad fidem vocatus est, utrum perenni regno dignus sit nescit. Secundum vero est, ut unusquisque proximum, quem fortasse iacere in vitis conspiciat, desperare non audeat: quia divinae misericordiae divitias ignorat.

1094

Rem, fratres, quae nuper contigit refero, ut si vos peccatores ex corde esse conspiciatis, omnipotentis Dei misericordiam amplius ametis. Praesenti anno in monasterio meo, quod iuxta beatorum martyrum Ioannis et Pauli ecclesiam situm est, frater quidam ad conversio-

nem venit: devote susceptus est, sed ipse devotus est conversatus. Hunc ad monasterium frater suus corpore, non corde secutus est. Nam valde conversionis vitam et habitum detestans, in monasterio ut hospes habitabat, et monachorum vitam moribus fugiens, recedere a monasterii habitatione non poterat; quia vel quid ageret, vel unde viveret, non habebat. Erat eius pravitatis cunctis onerosa, sed hunc omnes aequanimiter pro fratris eius amore tolerabant. Nam superbus et lubricus, si qua post hoc sacculum sequeretur vita nesciebat: irridebat vero si quis illi hanc praedicare voluisset. Itaque cum habitu saeculari vivebat in monasterio, verbis levis, motibus instabilis, mente tumidus, veste compositus, actione dissipatus. Mense autem Iulio nuper elapso, huius quam nostis, pestilentiae clade percussus est: qui ad extremum veniens, urgeri coepit ut animam redderet. Et ultima iam corporis parte praemortua, vitalis virtus in solo pectore et lingua remanserat. Fratres aderant, eiusque exitum, in quantum Deo largiente poterant, oratione tuebantur. At ille subito ad devorandum se draconem venire conspiciens, magnis vocibus coepit clamare, dicens: Ecce, draconi ad devorandum datus sum, qui propter vestram praesentiam devorare me non potest. Quid mihi moras facitis? Date locum, ut ei devorare me liceat. Cumque hunc fratres ut signum sibi crucis imprimeret admonerent, respondebat virtute qua poterat, dicens: Volo me signare, sed non possum, quia a dracone premor. Spumae oris eius faciem meam liniunt, guttur meum eius ore suffocatur. Ecce ab eo brachia mea comprimuntur, qui iam et caput meum in suo ore absorbit. Cumque hoc ille pallens et tremens et moriens diceret, cooperunt fratres vehementius orationi-

bus insistere, et oppressum draconis praesentia suis precibus adiuvere. Tunc repente liberatus, magnis coepit vocibus clamare, dicens: Deo gratias: ecce discessit, ecce exiit, ante orationes vestras fugit draco, qui me acceperat. Mox autem servitutum se Deo et esse monachum devovit; atque a tempore illo nuncusque febribus premitur, doloribus fatigatur. Morti quidem subtractus est, sed adhuc plenius vitae restitutus non est. Quia enim longis et diuturnis iniquitatibus pressus est, longo languore fatigatur, et durum cor ignis purgationis durior concremat: quia divina dispensatione agitur, ut prolixiora vitia aegritudo prolixior exurat. Quis illum umquam servari ad conversionem crederet? Quis tantam Dei misericordiam considerare sufficiat? Ecce, juvenis pravus draconem vidit in morte, cui servivit in vita: nec vidit ut vitam funditus perderet, sed ut cui servierat sciret, sciendo resisteret, ipsumque resistendo superaret: et eum a quo prius non videns tenebatur, vidit postea ne teneretur. Quae ergo lingua narrare viscera divinae misericordiae sufficiat? Quis spiritus tantae pietatis divitias non obstupescat? Has divinae pietatis divitias consideravit Psalmista, cum diceret: *Adiutor meus, tibi psallam, quia tu Deus susceptor meus es, Deus meus misericordia mea* (PSAL. LVIII, 18). Ecce perpendens in quibus laboribus humana sit vita constituta, Deum appellavit adiutorem: et quia a tribulatione praesenti in requiem aeternam nos suscipit, appellat etiam susceptorem. Sed considerans quod mala nostra aspicit et portat, culpas nostras tolerat, et tamen nos per poenitentiam ad praemia reservat, noluit Deum misericordem dicere, sed hunc ipsam misericordiam vocavit, dicens: *Deus meus misericordia mea*. Revochemus ergo ante

oculos mala quae fecimus: pensemus ex quanta Dei benignitate toleramur: consideremus quae sunt pietatis eius viscera, ut non solum culpas indulgeat, sed coeleste regnum poenitentibus etiam post culpas promittat. Atque ex omnibus medullis cordis dicamus singuli, dicamus omnes: *Deus meus misericordia mea*: qui vivis et regnas trinus in unitate, et unus in trinitate, per infinita saecula saeculorum. Amen.

Varia de Septuagesima, ex S. Carolo Borromeo.
(ACTA ECCL. MEDIOLAN. P. VII.)

1095 GRATES Deo rependimus, dilectissimi, pro eo gratiarum incremento et proventu, quem vos, summo cum animi nostri solatio audivimus, excepisse ex epistola, quam ad vos, pro Adventus Domini praeparatione, eiusque celebratione, nuper scripsimus. Sed non minori dolore afficimur, cum nonnullos accipimus, in ignorantiae suae tenebris voluntate improba adhuc perseverare, et ad lucem quae sanctis his diebus sese ipsis offerebat, aperire oculos renuisse; unde ex adeo solennis mysterii ignorantia, indignae admodum illud celebrantur.

1096 Hinc ne quid a nostra pastoralis cura et officio desideretur, et eorum, qui vitae emendatione et bonis operibus conversionem suam comprobant, votis annuamus, nostri consensus esse inunni, hanc aiam epistolam ex huius Septuagesimae dierumque, qui ad Pascha extenduntur, occasione, iuxta Ecclesiae intentionem ad vos scribere; qua scilicet ad Passionis et Resurrectionis Christi Iesu memoriam ita celebrandam disponamini, ut gratias doneque spiritualia, iis qui ea lucrari conati fuerint, praeparata, possitis adipisci.

1097 Aliquid ergo de horum temporum mysterio et de ratione qua fructum quem a vobis Spiritus sanctus exigit, habeatis, proponemus.

FERIA SECUNDA

Homilia S. Thomae Aquinatis.
IN MATTH. CAP. 22.

1098 SUPRA Dominus egit de perventione, ad regnum per viam communis salutis, et per viam perfectionis; et quia quidam credunt in-

debite pervenire, ideo repelluntur. Et primo illi qui intendunt venire propter temporis antiquitatem; secundo qui propter carnis originem. Secunda ibi: *Et ascendens Iesus Ierosolymam*, etc. Primum ergo proponitur sub parabola patrisfamilias et conductorum. Primo ponit parabolam; secundo concludit id ad quod prodest parabola, ibi: *Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi*. Parabola duas habet partes. Primo agit de conductione; secundo de remuneratione. Secunda ibi: *Cum sero autem factum esset*, etc. Circa primum ponuntur quatuor conductiones, quae sunt invitationes operariorum ad operandum. Secunda ibi: *Et egressus circa horam tertiam*, etc. Tertia ibi: *Iterum autem exiit circa horam sextam*, etc. Quarta ibi: *Circa undecimam vero exiit*. Circa primum tria tangit. Primo tangitur conduens; secundo ponuntur conducti; tertio modus conducendi. Secunda ibi: *Qui exiit primo mane conducere operarios*. Tertia ibi: *Conventione autem facta*, etc. Iste paterfamilias Deus est, cuius familia est totus orbis, sed specialiter creatura rationalis: et dicitur paterfamilias ex similitudine gubernationis; Sap. XIV, 3: *Tu autem, pater, gubernas omnia sapientia*. *Qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam*. Hic agit de conductis. Primo quaeritur quae sit vinea, qui operarii, quare conducti. Quid sit vinea ista. Secundum Chrysostomum iustitia est, et quod virtutes producit, tot palmite emittit; Cant. VIII, 13: *Vinea mea coram me est*; Gregorius: *Per vineam significatur sancta Ecclesia*. Is. V, 7: *Vinea Domini exercituum domus Israel est*. Et diversi palmite. Operarii vero sunt qui ab Adam descenderunt, unde omnes homines; Genes. cap. II, 15: *Posuit Dominus Adam in paradiso ut operaretur et custodiret illum*. Debet enim

unusquisque operari iustitiam, et excolere eam, et habere curam de proximo; Eccli. xvii, 12: *Deus mandavit unicuique de proximo suo. Spiritualiter praelati sunt operari; Is. lxi, 3: Et vocabuntur in ea fortes iustitiae, plantatio Domini ad glorificandum.* Dicuntur autem conducti, qui pro merito operari debent, et quasi mercenarii; Iob. vii, 1: *Militia est vita hominis super terram, et sicut mercenarii dies eius.* Sicut enim mercenarius non statim accipit mercedem, sed exspectat, sic nos in vita ista. Sed ad hoc quod sit bonus mercenarius, oportet quod laboret ad commodum domini sui: sic si laboremus in vinea Ecclesiae, totum referre ad Deum debemus. Unde I Cor. x, 31: *Omnia ad gloriam Domini facite.* Item primo excolit, et post comedit: et sic oportet quod primo excolamus et praeparemus aliorum salutem, post temporalia quaeramus; sup. vi, 33: *Primum quaerite regnum Dei, et omnia haec adiciuntur vobis;* Luc. xvii, 8: *Praecinge te, et sinistra mihi, donec manducem et bibam, et post haec tu manducabis et bibes.* Item tertio requiritur quod tota die occupetur in labore: sic cultor vineae Domini modicum tempus expendat in his quae ad ipsum pertinent; sed necessarium est quod expendamus totum tempus in servitio Dei; I ad Cor. cap. xv, 58: *Abundantes in opere Domini semper.* Item veretur apparere coram Domino nisi bene fecerit, sic etiam non debet hic apparere coram Domino nisi cum opere bono; Exod. xxiii et xxxiv, 20: *Non apparebitis coram me vacui.* Sed videamus quid sit mane. Totum tempus huius saeculi est unus dies; Ps. lxxxix, 4: *Mille anni tanquam dies hesternae quae praeterit.* Diversae horae sunt diversae aetates. Prima ab Adam usque ad Noe, et in illo tempore monuit Dominus et per nuntios, et per apparitiones ire in

vineam iustitiae. Vel potest dici quod tota vita hominis est unus dies. Mane huius diei est pueritia. Pueritia enim virens est sicut herba; unde aliqui vocantur a pueritia, sicut vocati sunt a pueritia Ieremias, Daniel et Ioannes Baptista. Ideo dicit: *Qui exiit primo mane, etc.*

Consequenter determinatur de modo conductionis: unde dicit: *Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno.* Per denarium istum significatur vita aeterna, quia denarius ille valebat decem denarios usuales. Item habebat impressam similitudinem regis. Unde quod significatur per istum denarium, consistit in observatione decalogi; supra xix, 17: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Item habet similitudinem Dei; I Io. iii, 2: *Cum apparuerit, similes ei erimus.*

Consequenter agit de secunda conductione: *Et egressus circa horam tertiam, etc.* Si accipiamus diem unum totum saeculum, sicut prima hora significat tempus ab Adam usque ad Noe, sic secunda a Noe usque ad Abraham. Antequam promissiones factae sint de Christo, tunc per angelos monuit multos, et habuit multos etiam qui monebant alios. Sed si ad vitam unius hominis, hora tertia est adolescentia, quia sicut hora tertia diei sol incipit calescere, sic in adolescentia incipit irradiare sol intelligentiae. Item incipit tunc calere; Iac. i, 11: *Exortus est cum ardore.* Et istos invenit in foro et otiosos. Istud forum, secundum istud, est vita praesens. Forum autem dicitur locus in quo litigatur; forum dicitur, in quo venditur et emitur, et significat vitam praesentem, quae litigiis plena est, emptio et venditio; I Ioann. v, 19: *Mundus totus in maligno positus est.* Et isti otiosi erant, quia iam partem vitae suae amiserant: dicuntur enim otiosi non solum qui male faciunt,

sed etiam qui bonum non agunt. Et sicut otiosi non consequuntur finem, sic nec isti. Finis hominis est vita aeterna; qui ergo operatur eo modo quo debet, habebit eam, si otiosus non fuerit; Eccli. xxxii, 29: *Multa mala docuit otiositas.* Et dicit eis: *Ite et vos in vineam meam.* Quia Deus secundum iustitiam retribuit; I Reg. xxvi, 23: *Deus retribuet secundum iustitiam.* Cum istis non convenit de denario. Quare cum primis, et non cum istis? Ratio est secundum quod refertur ad aetatem saeculi. Quia Adam peccatorus erat, ideo posset excusari si non scivisset suam remunerationem; sed scivit, quia gustavit. Item ei, qui meliores habet sensus suos, magis innotescit veritas. Cum ergo sensus meliores Adam habuerit, verius ei innotuit. Sed cum aliis non convenit, quia semper plus quam promittat solvit. Is. lxiv et I Cor. ii, 9: *Oculus non vidit absque te, quae praeparasti diligentibus te.* Item primi conducti fuerunt ad totam diem. Ergo totam mercedem debent habere; ideo promittitur eis denarius diurnus, qui erit plena merces. Sed aliter non dat totam Deo; ideo non convenit cum eo, quia poterat esse quod ferventius operabitur, et sic magis retribuetur: vel ita negligenter, quod non merebitur; ideo dicit: *Et quod iustum fuerit dabo vobis:* quia si recuperent tempus amissum, habebunt mercedem plenam; I ad Cor. cap. iii, 13: *Uniuscuiusque opus manifestum erit, dies Domini declarabit.* Item primos invitavit ad eundem, sed isti spontanee iverunt; quia in pueris non est discretio, ideo si faciant aliquid bonum, plus videtur esse a Spiritu sancto, quam a discretionem; sed in adolescentia homo movetur proprio consilio. Item de primis dicitur quod misit eos; de istis quod spontanee iverunt.

1101 *Item autem exiit circa horam sextam*

et nonam. Secundum quod dies dicitur saeculum, sic hora sexta fuit ab Abraham usque ad David, et nona a David usque ad Christum. Sed quare coniungit duas horas? Quia tunc fuit populus distinctus, scilicet iudaicus et gentilis. Unde potest dici quod hora sexta est iuventus, quia sicut in medio die est sol in sui perfectione, sic homo in iuventute. Nona autem hora est senectus: et coniungit istas duas, quia idem est modus vivendi in utraque.

1102 *Circa vero undecimam horam exiit.* Ponitur quarta conductione: et tria facit. Primo reprehendit; secundo excusat; tertio invitatur. Secunda ibi: *Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit.* Tertia ibi: *Ite et vos in vineam meam.* Dicit ergo: *Circa undecimam vero horam exiit.* Nona hora est tempus Christi. Unde I Io. ii, vers. 18 dicitur: *Filioli, novissima hora est.* Et ad Hebr. i, 1: *Olim loquens Deus patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.* Is. lii, 6: *Ego qui loquebar, adsum.* Vel potest dici senium, sive decrepita aetas, quia quidam in peccato perdurant usque ad aetatem decrepitam. Ps. lxxxix, 6: *Vespere decedit, induret et arescat. Et invenit alios stantes.* Alios invenit in foro, istos non. Ratio est, secundum Philosophum, quia differentia est inter adolescentes et senes, quia adolescentes toti sunt in spe, senes non in spe, sed in memoriis. Unde illi in foro inveniuntur primi quasi volentes acquirere; isti autem inveniuntur stantes, quasi non volentes acquirere, sed acquisitum observare. Item vidit primos, et non increpavit; istos autem vidit, et increpavit, quia primi adhuc infirmi sunt, et dominantur passionibus in eis, ideo excusandi sunt, quod non expendunt tempus in servitio Dei: sed senes abundant sensibus, ideo ipsos increpat, *Quid hic statis tota die otio-*

si? Prov. xii, vers. 11: *Qui sectatur otium, stultissimus est*; et xxviii, 19: *Qui sectatur otium, implebitur egestate*. Sequitur eorum excusatio: *Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit*. Si referamus ad statum saeculi, sic isti significant gentilem populum, qui non serviunt Deo, sed idolis. Sed excusantur, quia prophetas non habuerunt sicut Iudaei; unde Ps. cxxvii, 20: *Non fecit taliter omni nationi, et iudicia sua non manifestavit eis*. Vel secundum quod refertur ad aetatem hominis, significatur quod quibusdam non datur occasio revertendi ad Deum usque ad senium. Et ratio est, quia omnia tempus habent. Vel potest contingere ex dispensatione divina, quia *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, Rom. cap. viii, 28. Unde novit Dominus quod si ante vocasset eos, non stitissent. Tunc ergo conducuntur, quando consentiunt, et efficaciter magis resurgunt; unde dicit: *Ite et vos in vineam meam*. Unde licet sint decrepiti, vult tamen omnes salvos fieri, I ad Tim. cap. ii. Item primis praemium promisit, istis non, quia illis debebatur, quia mane servierunt ei; istis autem debetur ex sola misericordia. Sap. cap. iv, vers. 13: *Consummatus in brevi complevit tempora multa*.

1103 *Cum sero factum esset*, etc. Hic agit de remuneratione. Et ponitur primo remuneratio; secundo murmuratio; tertio responso. Circa primum duo facit. Primo ponitur tempus; secundo persona committens; tertio persona cui committitur. Tempus ponitur: *Cum sero factum esset*, etc. Et potest intelligi vel de fine aetatis, vel de fine saeculi. Psalm. xxix, vers. 6: *Ad vesperum demorabitur fletus*, quia deficit lux mundi. Et dicitur Sero, quia in mundo isto fiet iudicium. *Dixit dominus vineae procuratori suo*. Dominus est tota Trinitas; *dixit procuratori*, Christo. Et datur ei potestas

resuscitandi, potestas iudicandi, et tangitur ordo iudicii. Tangitur potestas: *Voca operarios*, idest mortuos resuscitatus; Ioann. cap. v, 28: *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei*. Potestas iudicandi: *Redde illis mercedem*, idest sis iudex; unde dat potestatem iudicandi; Ioann. v, 27: *Dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est*. Consequenter tangitur ordo: *Incipiens a novissimis usque ad primos*. Et hoc potest retorqueri ad aetatem saeculi. *Incipiens a novissimis*, scilicet ab his qui sacramentis imbuti sunt. Unde maior gratia eis data est, quam primis; Ephes. iii, 5: *Aliis generationibus non est agnitus, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis eius*. Unde abundantius collata fuit eis, licet aliqua persona in veteri Testamento habuerit quoad aliquid maiorem gratiam; Io. vii, 39: *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*, non quia non datus fuerit Spiritus sanctus, sed quia tunc abundantius. Vel potest retorqueri ad aetatem hominis, quia qui in decrepita sunt aetate, citius moriuntur, et citius remunerantur. Vel potest esse quod ex fervore recuperent rem prius amissam, ut legitur de latrone. Quantum ad utrumque dicit Chrysostomus, quod illud homo facit liberalius quod facit ex misericordia, quam quod alio modo; ideo designatur quaedam gratificatio et gaudium; Luc. xv, 10: *Gaudium est in coelo super uno peccatore poenitentiam agente*. Deinde sequitur executio: *Cum venissent qui circa undecimam horam venerant*, vel Christiani, vel homines in decrepita aetate, *repperunt singulos denarios*. Apostolus I Cor. cap. iii, 8: *Quilibet propriam mercedem accipiet secundum suam laborem*. *Venientes autem et primi* (non retorqueatis ad tempus saeculi, quia Iudaei) *arbitrati sunt quod plus essent accepturi*, eo quod plus ha-

bebant in alio saeculo. *Acceperunt autem et illi singulos denarios*, quia singulas stolas habuerunt.

1104 Sed quid est? Nonne omnes aequaliter habebunt gloriam? Dico quod quantum ad aliquid erit par retributio, quantum ad aliquid non: quia beatitudo potest considerari quantum ad obiectum, et sic est una omnium beatitudo: vel quantum ad participationem obiecti, et sic non omnes aequae participabunt, quia non ita clare videbunt; Ioann. xiv, 2: *In domo Patris mei mansiones multae sunt*. Et est simile sicut si multi vadant ad aquam, et unus ferat maius vas quam alter: fluvius totum se exponit, non tamen omnes deferunt aequaliter: sic qui animam habet charitate magis dilatam, magis accipiet, etc. Eccli. xi, 24: *Benedictio Dei in mercedem iusti festinat, et in honore veloci processus illius fructificat*.

1105 *Et accipientes murmurabant adversus patresfamilias dicentes: Hi novissimi una hora fecerunt*, etc. Supra posita est remuneratio, hic ponitur quorundam murmuratio.

1106 Sed hic est quaestio duplex, quia dicit quod accipientes singulos denarios murmurabant. Per denarium intelligitur vita aeterna. Est ne credendum quod accepta remuneratione aliquis murmuret? Non enim videtur, quia tunc esset ibi peccatum, ut habetur I ad Cor. x, 10: *Neque murmuraveritis*.

1107 Chrysostomus dicit quod non est vis faciendi in eo quod dicitur, sed propter quod dicitur. Unde intelligendum est quod tanta erit remuneratio, quod si possibile esset, murmurarent. Vel potest intelligi in mundo isto. Gregorius dicit quod ista murmuratio nihil aliud est quam remunerationem differri, quia sancti qui ultimo venerunt statim receperunt praemium, sed primi diu expecta-

verunt; unde II ad Cor. vi, 13: *Eandem habentes remunerationem tanquam filiis dico, dilatamini et vos*, etc. Unde illi murmurant; quia statim non acciperunt; isti autem non, quia statim. Hilarius et Hieronymus dicunt sic: Aliquando Scriptura loquitur de toto numero populi, aliquando ex persona bonorum, aliquando malorum, ut dicitur Ier. xxvii quod omnis populus insurrexit in eum, et omnis populus liberavit. Hic accipitur omnis populus pro parte populi. Sic in primo tempore aliqui fuerunt boni, et non omnes; ideo attribuitur aliquid ratione bonorum, aliquid ratione malorum, non quod tunc, sed ante murmurabant, quia populus Iudaeorum murmuravit contra gentilem, quod aequaretur ei.

1108 Est et alia quaestio. Quid est quod dicit: *Qui portavimus pondus diei et aestus?* quia non portaverunt, nisi quantum vixerunt, et moderni similiter. Quid ergo est quod dicitur?

1109 Tripliciter respondetur. Prima responsio est, quod spes quae differtur, affligit animam. Aliqui in principio mundi fuerunt qui portaverunt pondus, quia sciverunt suam retributionem differri; ideo dicuntur portasse pondus diei. Vel potest referri ad Iudaeos, qui portaverunt pondera legis, de quo pondere dicit Petrus Act. cap. xv, vers. 10: *Hoc est onus quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus*. Gentiles autem tale pondus non portaverunt, quia legi subiecti non fuerunt. Vel, secundum Gregorium, quia primi homines longiori tempore vixerunt, unde vivebant nongentis annis, ideo gravior pondus tulerunt.

1110 *At ille respondens uni illorum dixit*. Hic ponitur reprehensio. Et primo ostendit suam iustitiam, et suam misericordiam: secundo remunerationem differri, quia sancti qui ultimo venerunt statim receperunt praemium, sed primi diu expecta-

retributionem factam. Dicit ergo: *At ille respondens uni illorum*; et adde, et omnibus, quia omnes unam causam habebant; *dixit, Amice*. Amicum vocat, quia ipsum ad se traxerat. Deut. iv, 37: *Elegit semen eorum post eos. Non facio tibi iniuriam*, quia quod meum est, do isti, non quod tuum est, ideo non facio tibi iniuriam. Iob viii, 3: *Numquid Omnipotens subvertit iudicium?* Deinde commemorat pactum: *Nomme ex denario convenisti mecum?* idest pro salute consequenda. Gen. c. xv, 1: *Ego Dominus merces tua magna nimis. Tolle quod tuum est, idest quod ex promissione mea habes, et vade*, in gloriam; II ad Tim. i, 12: *Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem*. Quidam exponunt sic: *Tolle quod tuum est*, idest damnationem pro murmurare, *et vade*, in ignem aeternum. Sed hoc non potest esse, quia dicit quod acceperunt singulos denarios. Consequenter ponit misericordiam impensam dicens: *Volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi*. Et circa hoc duo facit. Primo ponit misericordiam; secundo facultatem miserendi: *Volo autem huic novissimo, idest gentili, dare sicut et tibi*. Ad Rom. iii, 9: *Quid ergo? Praecedimus? Nequaquam*. Sed possent isti dicere: Tu non potes. Immo dicit: *Aut non licet mihi quod volo facere?* quia licet unicuique facere voluntatem suam de suo. Si enim esset debitor alterius, non liceret ei facere, similiter si esset sub altero; sed ipse est dominus, ideo potest plus dare. Balivus enim non potest dare aliquid, nisi secundum merita; rex autem potest sine meritis; sic Deus, qui est omnium dominus, potest; Psal. cxiii, 11: *Omnia quaecumque voluit fecit*; ad Rom. ix, 19: *Voluntati eius quis resistit?* Hic notandum quod in eo quod ex misericordia datur, non est acceptio personarum, quia

de eo quod pure meum est, possum dare cui volo absque acceptione personae. Unde dicit: *An oculus tuus noquam est, quia ego bonus sum?* Constat quod murmur praecedens non fuit ex defectu domini, sed ex misericordia alii impensa, ideo ex misericordia et bonitate; sed nequam est proprie, qui de bonitate dolet: ideo dicit: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* eo quod circa te iustitiam ostendi, circa alterum misericordiam? Constat autem istud esse ex bonitate. Et supra vi, 22: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*. De bonitate Domini in Psal. lxxii, 1: *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde!*

Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi. Hic concludit id pro quo tota parabola inducta est. Et primo ponit conclusionem; secundo removet falsam opinionem. Dicit: *Sic erunt novissimi primi*. Dupliciter potest legi secundum Chrysostomum, idest novissimi primis aequabuntur, ita quod non erit differentia; et hoc respondet huic quod dictum est, quod singuli receperunt singulos denarios: nec erit differentia secundum tempus. Vel aliter, idest illi qui sunt novissimi, erunt primi; Deuter. c. xxvii, vers. 44: *Advena erit super te, et erit in caput, tu in caudam*. Vel aliqui qui erant primi, propter negligentiam fient novissimi: et hoc praecedenti respondet, quia inceperunt a novissimis. Sed posset aliquis dicere: Nonne omnes primi salvabuntur? Dicit: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, quia qui fide credunt, omnes vocati sunt; sed illi electi, qui bona opera faciunt, et isti sunt pauci, ut supra vii, 14: *Arcta est via, quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam*.

FERIA TERTIA

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.
COMMENT. IN EVANG. MATTH., CAP. 20.

PARABOLA ista, vel similitudo regni coelorum, ex his quae praemissa sunt, intelligitur. Scriptum est enim ante eam: *Mulierunt primi novissimi, et novissimi primi* (MATTH. XIX, 30). Non tempori deferente Domino, sed fidei. Dicitque patremfamilias primo mane exisse, ut conduceret operarios in vineam suam, et pretium operis constituisse denarium. Deinde egressum circa horam tertiam, vidisse alios stantes in platea otiosos: et illis nequaquam denarium, sed quod iustum esse fuisse pollicitum. Sexta quoque hora et nona fecisse similiter. Undecima autem invenisse alios stantes, qui tota die otiosi fuerant, et misisse eos in vineam. Cum autem sero factum esset, praecipisse procuratori suo, ut a novissimis inciperet reddere, hoc est, ab operariis horae undecimae usque ad operarios horae primae; omnesque pariter contra novissimos invidia concitatos, iniquitatem arguisse patrisfamilias. Non quod minus acceperint quam fuerat constitutum, sed quod plus accipere voluerint his, in quos se clementia conductoris effuderat. Mihi videntur primae horae esse operarii Samuel, et Ieremias, et Baptista Ioannes, qui possunt cum Psalmista dicere: *Ex utero matris meae Deus meus est tu* (PSAL. XXI, 11). Tertiae vero horae operarii sunt, qui a pubertate servit Deo coeperunt. Sextae horae, qui matura aetate susceperunt iugum Christi. Nonae, qui iam declinante ad senium. Porro undecimae, qui ultima senectute; et tamen omnes pariter accipiunt praemium, licet diversus labor sit. Sunt qui hanc parabolam aliter edisserant. Prima hora vo-

Varia de Septagesima, ex S. Carolo Borromeo.
(ACTA ECCL. MEDIOLAN. P. VII).

- 1112 **N**OVISSE vos iuvat, filii dilectissimi, sanctam Ecclesiam variis institutis, suis et per annum officijs, omnem ordinem et progressum, quem ad salvandos homines Christus Dominus sequutus est, ad eosdem usque ad beatitudinem aeternam, quae eorum finis esse debet, deducendos, nobis quod oculis proponere: unde cum Christus, apud Paulum, salutis nostrae sit auctor et consummator, hinc ab eius Adventu, uti alia nostra Epistola fassus docet, bonnae Ecclesiae officia et ritus inchoantur.
- 1113 Nunc vero ut fideles de eius in terram non modo Adventus, sed et passionis, mortisque causa doceatur, Septagesimam celebrandam eadem Ecclesia instituit, qua exponitur primi parentis Adami casus et peccatum, cuius contagio universa eius posteritas, gratiarum muneribus et donis quibus donata fuerat, exuta mansit. Deique iram et indignationem inde promeruit.
- 1114 Hinc iusto eius iudicio, daemones qui hominem sibi subdiderat, ut iustitiae eius ministro, castigandum reliquit. In quo pessimus ille ita praevaluit, ut universale in homines imperium usurpatione tyrannica exorceret, et caecos illos ad sui etiam adorationem aliaque horrenda peccata et scelera induceret.
- 1115 Licetque Dominus Deus varios, ut sese ab hac miseria homines expedirent, Moyses potissimum lege modos exhibuisset, crassae adeo hi erant ignorantiae militaque, ut ipsis ille vix utiles fuerint; et crescente inde daemones tyrannide peccati imperium in dies stabiliretur.
- 1116 Ab eo statu calamitoso nos equidem morte sua liberatos Christus voluit, sed priusquam amplius a peccatis et damnationis aeternae metu omnino liberaremur, corporis miseras, sensuum cum mente pugnam, tentationes, et quibus vita nostra circumdatur pericula, ea conditione reliquit, ut quae peccati poenae et effectus antea fuerant, nunc in virtutis et meriti occasionem et exercitium cederent, a quibus tandem miseris, gratiae nos auxilio liberandos pollicitus est, quod his verbis Paulus testatur: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae*.

lunt missum esse in vineam Adam et reliquos patriarchas usque ad Noe; tertia, ipsum Noe usque ad Abraham et circumcissionem ei datam; sexta, ab Abraham usque ad Moysen, quando lex data est; nona, ipsum Moysen, et prophetas; undecima, apostolos et gentium populum, quibus omnes invident. Unde hoc ipsum intelligens post horam iam undecimam, cum esset prope solis occasum et ad vesperam, Ioannes Evangelista loquitur: *Filii mei, novissima hora est* (I IOANN. II, 18). Et simul considera, quod iniustitiam patrisfamilias, quam in undecimae horae operariis omnes pariter accusant, in seipsis non intelligunt. Si enim iniquus est paterfamilias, non in uno iniquus est, sed in omnibus: quia non sic laboravit tertiae horae operarius, quomodo ille qui a prima hora est missus in vineam. Similiter et sextae horae operarius minus laboravit tertiae horae operario; et nonae, sextae horae operario. Omnis itaque retro vocatio gentibus invidet, et in Evangelii torquetur gratia. Unde et Salvator concludens parabola: *Erunt, inquit, primi novissimi, et novissimi primi*. Quod Iudaei de capite vertantur in caudam: et nos de cauda mutemur in caput.

1118 *Amice, non facio tibi iniuriam.* Legi in cuiusdam libro amicum istum qui increpatur a patrefamilias, primae horae operarium, protoplastum intelligi, et eos qui illo tempore crediderunt.

1119 *Nonne ex denario convenisti mecum?* Denarius figuram regis habet. Recepti ergo mercedem quam tibi promiseram, hoc est, imaginem et similitudinem meam: quid quaeris amplius; et non tam ipse plus accipere, quam alium nihil accipere desideras, quasi alterius consortio minuatur praemii meritum?

1120 *Tolle quod tuum est, et vade. Volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi:*

aut non licet mihi quod volo, facere? Iudaeus in Lege non gratia, sed opere salvatur. Qui enim fecerit eam, vivet in ea. Unde dicitur ad eum:

An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Id ipsum sonat et illa Lucae parabola, ubi maior filius minori invidet, et non vult eum recipi poenitentem, et patrem accusat iniustitiae (LUC. XV, 28-30). Et ut sciamus hunc esse sensum quem diximus, titulus parabola huius finisque consentiunt. *Sic erunt, inquit, novissimi primi, et primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*

Varia de Septuagesima, ex S. Carolo Borromeo.
(ACTA ECCLESIAE MEDIOLANENSIS. P. VIII.)

DEFLORANDUS ergo hic humani generis post peccatum status ab Ecclesia, Septuagesimae tempore repraesentatur. Eoque fideles ad compunctionem et lacrymas ut inducat, luctuosus vestibulus amictur, lactitiae cantus obmittit, Genesim in divinis Officiis, qua primi hominis casus describitur, legendam assignat; nec vox ipsa Septuagesima, qua utitur, caret mysterio. Universalis siquidem humani generis calamitas septuaginta his annis figuratur, quos in sui peccati poenam sub dura Babiloniae servitute Iudaei miseri transegerunt. Tum etiam quod septenarius in sacris Litteris numerus vitae nostrae cursum plurimis interpolatum miseris admonet. Hinc quippe cum redemptionis nostrae post resurrectionem status illi succedat, per octonarium numerum hic significatur.

Exposito septuagesimali mysterio iuxta Ecclesiam mentem, nos adhuc cum poenitentia et lacrymis ad mortis et Resurrectionis Christi participationem debemus disponere.

FERIA QUARTA

Homilia S. Augustini Episcopi.
SERMO 87.

DE sancto Evangelio praesenti tempore consonantem similitudinem audistis de his qui operantur in vinea. Est enim modo tempus vindemiae corporalis. Est autem et spiritualis vindemia, ubi Deus gaudet ad fructum vineae suae. Colimus enim Deum, et colit nos Deus. Sed non sic Deum colimus, ut nos eum meliorem colendo faciamus. Colimus enim eum adorando, non arando. Ille autem colit nos tamquam agricola agrum. Quod ergo nos ille colit, meliores nos reddit; quia et agricola agrum colendo facit meliorem: et ipsum fructum in nobis quaerit, ut eum colamus. Cultura ipsius est in nos, quod non cessat verbo suo exstirpare semina mala de cordibus nostris, aperire cor nostrum tamquam aratro sermonis, plantare semina praeceptorum, expectare fructum pietatis. Cum enim istam culturam in cor nostrum sic acceperimus, ut eum bene colamus, non existimus ingrati agricolae nostro, sed fructum reddimus quo gaudeat. Et fructus noster non illum ditiores facit, sed nos beatiores.

1125 Ecce audite, quia sicut dixi, colit nos Deus. Nam quia nos colimus Deum, non opus est ut probetur vobis. Omnis enim homo hoc habet in ore, quia homines colunt Deum. Quia vero Deus colit homines, quasi expavescit auditor quando audit: quia non est in usu hominum ut dicatur quia Deus colit homines; sed quia Deum colunt homines. Debemus ergo probare vobis quia et Deus colit homines; ne forte putemur verbum in-disciplinatum dixisse, et aliquis in corde suo disputet contra nos, et nesciens quid dixerimus reprehendat nos. Hoc ergo

constitutum est demonstrare vobis; quia et Deus colit nos; sed iam dixi, sicut agrum, ut meliores nos faciat. Dominus dicit in Evangelio: *Ego sum vitis, vos estis sarmenta, Pater meus est agricola* (IOANN. XV, 5, 1). Quid facit agricola? Interrogo vos, qui agricolae estis; quid facit agricola? Puto quia agrum colit. Si ergo Pater Deus agricola est, habet agrum, et colit agrum suum, et expectat inde fructum.

Denique plantavit vineam, sicut dicit ipse Dominus Iesus Christus, et locavit eam agricolis, qui redderent ei fructum temporibus propriis. Et misit ad eos servos suos, ut peterent mercedem vineae. Illi autem contumelias eos affecerunt, aliquos et occiderunt, et fructum reddere contemperunt. Misit alios; talia perpassi sunt. Et dixit ille paterfamilias, cultor agri sui, et plantator locator vineae suae: *Mittam unicum filium meum; forte vel ipsum verbeantur. Et misit, inquit, etiam filium suum.* Dixerunt illi apud se ipsos: *Hic est haeres; venite, occidamus eum, et nostra erit haereditas.* Et occiderunt eum; et proiecerunt extra vineam. Cum venerit dominus vineae, quid faciet illis malis colonis? Respondit: *Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum in tempore suo* (MATTH. XXI, 33-41). Plantata est vinea, lege data in cordibus Iudaeorum. Missi sunt Prophetae, quaerentes fructum, bonam vitam eorum: Prophetae ab eis contumelias affecti, et occisi sunt. Missus est et Christus unicus Filius patrisfamilias; et ipsum occiderunt haeredem, et ideo perdidit haereditatem. In contrarium eis vertit malum consilium. Ut possiderent, occiderunt: et quia occiderunt, perdidit.

Et modo audistis similitudinem ex Evangelio sancto, quia simile est regnum

coelorum patrifamilias, qui exiit conducere operarios ad vineam suam. Exiit mane, et quos invenit conduxit; et placuit cum eis mercedem denarium. Exiit et hora tertia, invenit alios, et adduxit ad opus vineae. Et sexta hora hoc fecit, et nona hoc fecit, Exiit etiam et hora undecima prope ad finem diei, invenit quosdam vacuos et stantes; et ait illis: Quid hic statis? quare non operamini in vinea? Responderunt: Quia nemo nos conduxit. Venite, inquit, et vos, et quod iustum fuerit, dabo vobis. Mercedem denarium placuit. Isti qui una hora erant operaturi, quando sibi auderent sperare denarium? Sed tamen se aliquid accepturos gratulabantur. Adducti sunt et ipsi ad unam horam. Finito die, iussit omnibus reddi mercedem, a novissimis usque ad primos. Inde coepit reddere ab eis qui hora undecima venerant, iussit eis dare denarium. Illi qui prima hora venerant, videntes illos accepisse denarium, quem cum ipsis placuerat, speraverunt se plus aliquid accepturos: ventum est et ad ipsos, et acceperunt denarium. Murmuraverunt adversus patremfamilias, dicentes: Ecce nos qui sustinimus ardorem diei et aestum, acquasti et pares fecisti illis qui unam horam operati sunt in vinea. Et ait paterfamilias, iustissimum responsum reddens uni eorum: Sodalis, non tibi feci iniuriam; hoc est, non te fraudavi; quod placui reddidi tibi. Fraudem tibi non feci, quia quod pactus sum reddidi. Huic non volo reddere, sed donare. Non licet mihi facere quod volo de meo? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Si alicui tollerem alienum, recte reprehenderer, quasi fraudator et iniustus; si alicui non redderem debitum, recte reprehenderer, quasi fraudator et negator alieni: cum vero debitum reddo, et cui volo etiam dono, nec cui

debebam me potest reprehendere, et cui donavi debet amplius gaudere. Non erat quod responderetur: et aequati sunt omnes, et facti sunt novissimi primi et primi novissimi; aequando, non praeposterando. Quid est, *Facti sunt novissimi primi et primi novissimi?* Quia tantumdem acceperunt et primi et novissimi.

Quid est ergo, quod a novissimis coepit reddere? Nonne omnes, sicut legimus, simul accepturi sunt? Legimus enim in alio loco Evangelii, quia dicitur est eis quos ponet ad dexteram: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi* (MATTH. XXV, 34). Si ergo omnes simul accepturi sunt quomodo hic intelligimus priores accepisse illos qui undecima operati sunt, et posteriores illos qui prima? Si potuero sic dicere, ut perveniat ad intellectum vestrum, Deo gratias. Illi enim debetis gratias agere, qui vobis per nos erogat: non enim de nostro erogamus. Si interrogas de duobus, verbi gratia, quis prior acceperit, qui post unam horam accepit, an qui post duodecimam? Sic ergo quamvis una hora acceperint omnes, tamen quia alii acceperunt post unam horam, alii acceperunt post duodecimam horam, illi dicitur sunt priores accepisse, qui post modicum temporis acceperunt. Primi iusti, sicut Abel, sicut Noe, quasi prima hora vocati, felicitatem resurrectionis nobiscum accepturi sunt. Alii iusti post illos, Abraham, Isaac, Iacob, et quicumque erant saeculi ipsorum, quasi tertia hora vocati, felicitatem resurrectionis accepturi sunt nobiscum. Alii iusti, Moyses et Aaron, et quicumque cum illis tamquam hora sexta vocati, felicitatem resurrectionis nobiscum accepturi sunt. Post ipsos Pro-

phetae sancti tamquam nona hora vocati, eandem felicitatem nobiscum accepturi sunt. In fine saeculi omnes Christiani tamquam undecima hora vocati, felicitatem illius resurrectionis cum illis accepturi sunt. Omnes simul accepturi sunt: sed videte illos primos, post quantum tempus accipiunt. Si ergo illi primi post multum tempus, nos post modicum tempus; quamvis simul accipiamus, priores videmur accepisse, quia merces nostra non tardabit.

1129 Erimus ergo in illa mercede omnes aequales; tamquam primi novissimi, et novissimi primi: quia denarius ille vita aeterna est, et in vita aeterna omnes aequales erunt. Quamvis enim meritum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minus: quod tamen ad vitam aeternam pertinet, aequalis erit omnibus. Non enim alteri erit longius, alteri brevius, quod pariter sempiternum est: quod non habet finem, nec tibi habebit, nec mihi. Alio modo ibi erit castitas coniugalis, alio modo ibi erit integritas virginalis: alio modo ibi erit fructus boni operis, alio modo corona passionis. Illud alio modo: illud alio modo: tamen quantum pertinet ad vivere in aeternum, nec ille plus vivet illo, nec ille plus illo. Pariter enim sine fine vivunt, cum in suis quisque claritatibus vivat: et ille denarius vita aeterna est. Non murmuret ergo qui post multum tempus accepit, contra eum qui post modicum tempus accepit. Illi redditur, illi donatur; utrisque tamen una res donatur.

1130 Est et in ista vita simile aliquid, et excepta illa solutione similitudinis huius, qua intelliguntur prima hora vocati Abel et ipsius saeculi iusti, tertia Abraham et ipsius saeculi iusti, sexta Moyses et Aaron et ipsius saeculi iusti, nona Prophetarum et ipsius saeculi iusti, unde-

cima tamquam in fine saeculi Christiani omnes; excepta solutione ista similitudinis huius, et in ista vita nostra potest adverti haec similitudo. Tamquam enim prima hora vocantur, qui recentes ab utero matris incipiunt esse christiani; quasi tertia, pueri; quasi sexta, iuvenes; quasi nona, vergentes in senium; quasi undecima, omnino decrepiti: unum tamen vitae aeternae denarium omnes accepturi.

1131 Sed attendite et intelligite, fratres mei, ne ideo quisque differat venire ad vineam, quia securus est quoniam quandoque venerit, ipsum denarium accepturus est. Securus est quidem quod ipse denarius illi promittitur; sed differre non iubetur. Numquid enim et illi qui sunt ad vineam conducti, quando ad illos exibat paterfamilias, ut conduceret quos invenit hora tertia, et conduxit, verbi gratia, dixerunt illi: Exspecta, non illum nisi hora sexta? aut quos invenit hora sexta, dixerunt: Non imus nisi hora nona? aut quos nona invenit, dixerunt: Non imus nisi undecima? Omnibus enim tantumdem daturus est: quare non amplius fatigamur? Quid ille daturus sit, et quid facturus sit, penes ipsum consilium est: tu quando vocaris, veni. Merces enim cunctis aequalis promittitur: sed de ipsa hora operandi, magna quaestio est. Si enim illi, verbi gratia, qui vocati sunt hora sexta, in hac aetate corporis constituti, ubi juveniles anni fervent, sicut ipsa hora sexta fervet; si dicerent illi iuvenes vocati: Exspecta, audivimus enim in Evangelio, quia omnes unam mercedem accepturi sumus; cum senes facti fuerimus, hora undecima veniemus; tantumdem accepturi, quare laboraturi? Responderetur eis et diceretur: Laborare non vis, qui utrum vivas usque ad senectam, nescis? Sexta hora vocaris, veni. Paterfamilias tibi quidem

etiam undecima venienti denarium promisit: sed utrum vivas usque ad septimanam, nemo tibi promisit. Non dico, usque ad undecimam, sed usque ad septimam. Quare ergo differs vocantem te, certus de mercede, incertus de die? Vide ne forte quod tibi ille daturus est promittendo, tu tibi auferas differendo. Si hoc recte dicitur de infantibus, tamquam ad horam primam pertinentibus; si recte dicitur de pueris, tamquam ad horam tertiam pertinentibus; si recte dicitur de iuvenibus, tamquam in horae sextae flagrantia constitutis: quanto magis recte de decrepitis dicitur: Ecce iam hora undecima est, et adhuc stas, venire piger es?

1132

An forte non exiit ad te vocandum paterfamilias? Si non exiit, quid est quod loquimur? Nempe nos servi de familia ipsius sumus, conducere operarios missi sumus. Quid ergo stas? Finisti iam annorum numerum, festina ad denarium. Hoc est enim exire patremfamilias, innotescere: quoniam qui in domo est, in abdito est, non videtur ab eis qui foris sunt; cum autem exiit de domo, videtur ab eis qui foris sunt. Christus, quando non intelligitur et non agnoscitur, in secreto est: quando autem agnoscitur exiit conducere. Ex occulto enim processit ad notitiam: notus est Christus, ubique praedicatur Christus; gloriam Christi omnia quaecumque sunt sub coelo clamant. Fuit irrisibilis quodam modo et reprehensibilis inter Iudaeos, visus est humilis, contemptus est. Occultabat enim maiestatem, promptam habebat infirmitatem. Contemptum est in illo quod promptum erat, nec cognitum quod occultum erat. Si enim cognovissent, namquam Dominum gloriae crucifixissent (I Cor. II, 8). Numquid adhuc contemnendus est sedens in coelo, si contemptus est cum penderet in ligno? Agita-

verunt caput qui eum crucifixerunt, et ante crucem eius stantes, et tamquam ad fructum suae saevitiae pervenientes, insultantes dicebant: *Si Filius Dei est, descendat de cruce. Alios salvos fecit, se ipsum salvum facere non potest? Descendat de cruce, et credimus in eum* (MATTH. XXVII, 39-43). Non descendebat, quia latebat. Multo enim facilius poterat de cruce descendere, qui potuit de sepulchro resurgere. Ad nostram informationem demonstrabat patientiam, differere potentiam, et non est agnitus. Non enim tunc exierat conducere operarios, non exierat, non innotuerat. Tertio die resurrexit, demonstravit se discipulis, ascendit in coelum, et misit Spiritum sanctum quinquagesimo die post resurrectionem, decimo post ascensionem. Missus, Spiritus sanctus implevit omnes qui fuerunt in uno conclavi, centum viginti homines (ACT. I, 15). Impleti illi Spiritu sancto, coeperunt loqui linguis omnium gentium, expressa est vocatio, exiit ille conducere. Coepit enim veritatis potentia omnibus innotescere. Nam tunc etiam unus accepto Spiritu sancto, etiam unus loquebatur omnium gentium linguis. Modo autem in Ecclesia ipsa unitas tamquam unus loquitur omnium gentium linguis. Ad quam linguam religio christiana non pervenit? ad quos fines non pertendit? Iam non est qui se abscondat a calore eius (PSAL. XVIIII, 7): et adhuc fit mora ab eo qui stat in undecima!

Manifestum est ergo, fratres mei, omnino manifestum est, tenete, certi estote, quoniam Deus noster Iesus Christus, quando quisque se converterit ad fidem ipsius, a via sua vel superflua vel nequissima, omnia illi praeterita dimittuntur, et omnino, tamquam donatis debitis, fiunt cum illo tabulae novae. Prostrata omnia dimittuntur. Nemo sit sollicitus,

1133

quod aliquid ei non dimittatur. Sed iterum nemo perverse sit securus. Ista enim duo occidunt animas, aut desperatio, aut perversa spes. De his duobus malis pauca audite. Nam sicut liberat bona spes, et recta spes; ita decipit perversa spes. Prius attendite quemadmodum decipiat desperatio. Sunt homines qui cum cogitare coeperint mala quae fecerunt, non sibi putant ignosci posse; et dum non putant posse sibi ignosci, dant animam iam perire, desperatione pereunt, dicentes in cogitationibus suis: Iam nulla nobis spes est; neque enim tanta illa quae commisimus donari nobis aut ignosci possunt; quare ergo non satisfacimus cupiditatibus nostris? Impleamus saltem praesentis temporis voluptatem, quia nullam habemus in futuro mercedem. Faciamus quicquid libet, etsi non licet; ut habeamus suavitatem vel temporalem, quia percipere non mereamur aeternam. Talia dicentes desperando pereunt, sive antequam omnino credant, sive iam christiani et in aliqua peccata et scelera male vivendo prolapsi. Procedit ad eos Dominus vineae, et tamquam desperantes et vocanti tergum dantes, pulsat et clamat per prophetam Ezechielem: *In quacumque die conversus fuerit homo a via sua pessima, omnes iniquitates eius obliviscar* (EZECH. XVIII, 21-22). Haec voce audita et credita, a desperatione recreantur, et ab illa altissima et profunda voragine, qua submersi fuerant, emergunt.

1134

Sed his timendum est, ne in aliam voraginem incurrant, et perverse sperando moriantur, qui desperando mori non potuerunt. Mutant enim cogitationes longe quidem diversas, sed non minus perniciosas; et rursus incipiunt dicere in cordibus suis: Si quacumque die conversus fuero a via mea pessima, Deus misericors, sicut veraciter per Pro-

phetam promisit, omnes iniquitates meas obliviscitur, quare hodie convertor, et non cras? Quare hodie, et non cras? Eat hodiernus dies sicut hesternus, sit in nequissima voluptate, sit in flagitiorum gurgite, volutetur in mortifera delectatione: cras convertar, et finis est. Respondetur tibi: Cuius rei finis? Dicis: Iniquitatum mearum. Bene, gaude, quia crastino iniquitatum tuarum erit finis. Quid, si ante crastinum tuus erit finis? Ergo bene quidem gaudes, quia propter iniquitates tuas converso tibi indulgentiam Deus promisit: sed crastinum diem tibi nemo promisit. Aut si forte promisit mathematicus, longe aliud est quam Deus. Multos mathematici fefellerunt, quia et sibi plerumque lucra promiserunt, et damna invenerunt. Ergo etiam propter istos male sperantes, procedit paterfamilias. Quemadmodum processit ad illos qui male desperaverant, et perierant desperando, et revocavit eos in spem: sic procedit etiam ad istos qui male sperando volunt perire; et dicit eis per alium librum: *Ne tardes converti ad Dominum. Quomodo illis dixerat: In quacumque die iniquus conversus fuerit a via sua pessima, omnes iniquitates eius obliviscar*; et tulit eis desperationem, qua iam dederant animam suam perditioni, omni modo indulgentiam desperantes: sic procedit etiam ad istos qui sperando et differendo volunt perire; et loquitur ad eos, et increpat eos: *Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem. Subito enim veniet ira eius, et in tempore vindictae disperdet te* (ECCLE. V, 8, 9). Ergo noli differre, noli quod patet contra te claudere. Ecce indulgentiae dator aperit tibi ostium; quid moraris? Gaudere deberes, si aperiret aliquando pulsanti: non pulsasti, et aperit, et foris remanes? Ne ergo differas. De misericordiae operibus quodam loco

Scriptura dicit: *Ne dixeris: Vade et revertere, cras ego dabo; cum possis continuo bene facere* (Prov. III, 28): non enim scis quid contingat sequenti die. Audisti praeceptum non differendi ut in alium sis misericors, et differendo in te es crudelis? Non debes differre panem daturus, et differs indulgentiam accepturus! Si miserando alterum non differs, miserere et animae tuae placens Deo (Eccli. xxx, 24). Exhibe et animae tuae elemosynam. Non dicimus ut tu ei des, sed ne repellas manum dantis.

1135 Sed aliquando homines inde sibi plurimum nocent, cum alios offendere timent. Multum valent et boni amici ad bonum, et mali amici ad malum. Ideo Dominus, ut pro salute nostra potentium amicitias contemnamus, noluit prius eligere senatores, sed piscatores. Magna artificis misericordia. Sciebat enim quia si eligeret senatorem, diceret senator: Dignitas mea electa est. Si prius eligeret divitem, diceret dives: Opulentia mea electa est. Si prius eligeret imperatorem, diceret imperator: Potestas mea electa est. Si prius eligeret oratorem, diceret orator: Eloquentia mea electa est. Si eligeret philosophum, diceret philosophus: Sapientia mea electa est. Interim, inquit, differantur superbi isti, multum tument. Distat autem inter magnitudinem et tumorem: utrumque grande est; sed non utrumque sanum est. Differantur ergo, inquit, isti superbi, aliqua soliditate sanandi sunt. Da mihi, inquit, prius istum piscatorem. Veni tu, pauper, sequere me; nihil habes, nihil nosti, sequere me. Idiota pauper, sequere me. Non est quod in te expavescat, sed multum est quod in te impleatur. Tam largo fonti vas inane admovendum est. Dimisit retia piscator, accepit gratiam peccator, et factus est divinus orator. Ecce quid fecit Dominus, de quo

dicit Apostolus: *Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi elegit Deus, et ea quae non sunt tamquam quae sint, ut ea quae sunt eva-
cuentur* (I Cor. I, 27-28). Denique leguntur modo verba piscatorum, et colla subduntur oratorum. Tollantur ergo de medio inanes venti; tollatur de medio fumus, qui crescendo evanescit; prorsus pro salute ista contemnuntur.

1138 Si quisquam corpore aegrotaret, in civitate, et esset ibi aliquis peritissimus medicus, amicis aegroti potentibus inimicus: si quisquam ergo in civitate aliquo periculoso morbo corporis aegrotaret, et esset in eadem civitate peritissimus medicus, amicis, ut dixi, aegrotantis potentibus inimicus, qui dicerent amico suo: Noli eum adhibere, nihil novit: dicerent autem, non iudicante animo, sed invidente: nonne ille pro salute sua removeret amicorum potentium fabulas, et ut paucis diebus plus viveret, cum illorum qualibet offensione, pellendo sui corporis morbo medicum illum, quem peritissimum fama commendaverat, adhiberet?

1139 Aegrotat humanum genus, non morbis corporis, sed peccatis. Iacet toto orbe terrarum, ab oriente usque in occidentem grandis aegrotus. Ad sanandum grandem aegrotum descendit omnipotens medicus. Humiliavit se usque ad mortalem carnem, tamquam usque ad lectum aegrotantis. Dat salutis praecepta, contemnitur: qui audiunt, liberantur. Contemnitur, cum dicunt amici potentes: Nil novit. Si nihil nosset, potentia eius gentes non impleret. Si nihil nosset, non esset antequam apud nos esset. Si nihil nosset, Prophetas ante se non mitteret. Nonne modo impletur quae ante praedicta sunt? Nonne probat medicus iste artis suae potentiam promissa complendo? Nonne per totum

mundum perniciosi evertuntur errores et tritura mundi domantur cupiditates? Nemo dicat: Antea melior erat mundus quam modo: ex quo coepit iste medicus artem suam exercere, multa hic videmus horrenda. Noli mirari. Antequam aliquis curaretur, munda a sanguine statio medici videbatur: imo iam tu hoc videns excute vanas delicias, veni ad medicum; sanitatis tempus est; non voluptatis.

1138 Curemur ergo, fratres. Si necdum medicum agnoscimus, non in eum tamquam phrenetici saeviamus, non ab eo tamquam lethargici avertamur. Multi enim saeviendo, multi dormiendo perierunt. Phrenetici sunt, qui non dormiendo insaniunt. Lethargici sunt, qui multum dormiendo prenumt. Prorsus tales sunt homines. Contra istum medicum alii saevire in eum volunt; et quoniam ipse iam in coelo sedet, membra eius fideles in terra persequuntur. Curat et tales. Multi ex eis conversi ex inimicis facti sunt amici, ex persecutoribus facti sunt praedicatores. Tales etiam ipsos Iudaeos, in se ipsum, cum hic esset, saevientes, tamquam phreneticos sanavit, pro quibus in ligno pendens oravit. Dixit enim: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (Luc. xxiii, 34). Multi tamen eorum, sedato furore, tamquam phrenesi oppressa, cognoverunt Deum, cognoverunt Christum. Post ascensionem misso Spiritu sancto, conversi sunt ad eum quem crucifixerunt, et in Sacramento credentes sanguinem eius biberunt, quem saeviendo fuderunt.

1139 Habemus exempla. Persequebatur membra eius iam sedentis in coelo Saulus: persequebatur graviter in phrenesi, mente perdita, morbo nimio. At ille una, voce de coelo clamans ei: *Saule, Saule, quid me persequeris?* percussit phreneticum, erexit sanum; occidit persecutorem, vivificavit praedictorem (Act. ix, 4).

Etiam lethargici multi sanantur. Ipsi enim similes sunt, qui non saeviunt in Christum, nec maligni sunt adversus Christianos; sed tantum differendo languescunt verbis somnolentis, in lucem oculos extendere pigrescunt, et qui eos excitare volunt, molesti sunt. Recede a me, inquit languidus lethargicus, obsecro te, recede a me. Quare? Dormire volo. Sed morieris inde. Ille amore somni, Mori volo, respondet. Et charitas desuper: Nolo. Plerumque istum charitatis affectum exhibet filius etiam patri seni morituro post paucos dies, iam utique aetate finita. Si lethargicum videt, et lethargico morbo premi suum patrem a medico agnoscit, dicente sibi: Excita patrem tuum, noli eum permittere dormire si vis ut vivat: adest puer seni, pulsat, vellicat, pungit, pietate molestus est: nec mori cito permittit ipsa senectute cito moriturum; et si vixerit, gaudet filius, ut aliquando plures dies vivat cum decessuro successurus. Quanto maiore charitate nos amicis nostris molesti esse debemus, cum quibus non paucos in hoc mundo dies, sed apud Deum in aeternum vivamus? Ament ergo nos, et faciant quod audiunt per nos, et colant quem colimus et nos, ut recipiant quod speramus et nos. Conversi ad Dominum, etc.

Varia de Septuagesima, ex S. Carolo Borromeo.
(ACTA ECCLE. MEDIOLAN. P. VII).

1140 LICET siquidem nostram operatus salutem fuerit, et a daemonis imperio quoad se nos exemerit, in hac tamen lacrymarum valle exules, carnis et sensus adversus spiritum rebellionem experimur, et tot ac tantis hostibus oppugnati, tot infirmitatibus et peccatorum circumdamur praecipitiis, ut ad inferni fauces summo cum periculo saepe distrahimur. Multi praeterea pro inestimabili adeo beneficio obdurati animo ad tantam lucem propria libidine caecutientes, iterum servitutis diabolicae voluntario iugo colla submitunt, daemonum famu-

litium nomini filiorum Dei misere praepo-
nentes. Idcirco Ecclesia in suis per hoc tempus orationi-
bus, filiorum suorum commune luget exilium, et
de eorum damnatione, quos prius ad poenitentiam
inuitabat, cum lacrymis conqueritur. *Convertimini,*
ipsa clamat, *omnes simul ad Deum, mundo corde*
et animo, in oratione, ieiuniis, et vigiliis nullis;
fundite preces vestras cum lacrymis.

1141. Aliis etiam modis solebat adhuc Ecclesia fideles
ad Deum revocare. Insistuerat scilicet ut praecedenti
quadagesimam hebdomada Pastores plebem
sua congregarent, ut auctoritate Ecclesiastica
muniri, reconciliatis primum eorum animis, omnes
pro confessione audirent, eisque postea poenitentia
salutaris imponeretur, qua ad quadagesimale ie-
iunium inchoandum rite et utiliter praepararentur.

1142. Eorum si qui publicis peccatis tenerentur, ut-
pote graviori poenitentia plectendi, Quadagesimae
initio sacco induti, nudis pedibus, prono in terram
vultu, coram universo clero ad pedes Episcopi
provolvebatur; qui de eorum culpa diligentius e-
doctus, indictam publicam pro ea poenitentiam post
multas orationes et lacrymas, imposito supra caput
cinere, adaptato corpori cilicio, erumpentibus inte-
rim gemitibus et suspiriis, sic ipsis denunciabat,
ut sicut Adam a Paradisi loco ciectus fuerat, ita
illi ab Ecclesia expellendi essent; et subito, ita
libenter Episcopo, proficiebantur foras, toto, usque
ad Coenae Domini diem, tempore in hoc statu
remansuri.

FERIA QUINTA

Homilia S. Bernardi Abbatis.
SERMO I IN SEPTUAG.

1143. **M**AGNA mihi consolatio est, fra-
tres mei, in verbo illo Domini:
Qui ex Deo est, verba Dei audit.
Propterea enim vos libenter auditis quia
ex Deo estis. Nec ignoro quod alio in
loco dicit Scriptura: *Ex ipso et per ipsum*
et in ipso sunt omnia. Sed multo aliter
sunt ex eo qui, secundum beati Ioannis
evangelium, *non ex voluntate carnis nati*
sunt, sed ex Deo. Unde et invenies ab
eodem Ioanne in epistola sua scriptum:
Omnis qui natus est ex Deo non peccat,
sed generatio coelestis conservat illum. Non
peccat, inquit, idest non permanet in

peccato: quia conservat illum, utique ut
perire non possit, ea quae falli non po-
test generatio coelestis. Sive non pec-
cat, idest tantumdem est ac si non pec-
cet, pro eo scilicet quod non imputatur
ei peccatum: generatio enim coelestis
etiam in hac parte conservat illum. Sed
generationem istam quis enarrabit? Quis
potest dicere: Ego de electis sum, ego
de praedestinatis ad vitam, ego de nu-
mero filiorum? Quis haec, inquam, di-
cere potest? reclamante nimirum Scri-
ptura: *Nescit homo si sit dignus amore,*
an odio. Certitudinem utique non habemus:
sed spei fiducia consolatur nos: ne
dubitationis huius anxietate penitus
cruciemur. Propter hoc data sunt signa
quaedam et indicia manifesta salutis, ut
indubitabile sit eum esse de numero
electorum in quo ea signa permanserint.
Propter hoc, inquam, quos praescivit
Deus, et praedestinavit conformes fieri
imaginis Filii sui: ut quibus certitudi-
nem negat causa sollicitudinis, vel fidu-
ciam praestet gratia consolationis. Hoc
enim est unde semper solliciti et in ti-
more et tremore humillemur necesse est
sub potenti manu Dei, quoniam quales
sumus, nosse possumus vel ex parte:
quales autem futuri simus, id nosse pe-
nitus nobis impossibile est. Itaque qui
stat, videat ne cadat; et in ea forma
quae salutis indicium est et argumen-
tum praedestinationis perseveret atque
proficiat.

Porro inter ea quae fiduciam praestant
et materiam spei unum illud maximum
est de quo nunc coepimus loqui: *Qui*
ex Deo est, verba Dei audit. Nonnullos
enim sic interdum audientes invenies ac
si nihil omnino ad eos pertineat quae
dicuntur: non intrare cor suum, non dis-
cutere mores suos, non cogitare, ne
forte quod audiunt dictum sit propter
eos. Magis autem si forte sermo Dei vi-

vus et efficax, qui suo, et non eius qui
loquitur, arbitrio fertur quocumque vo-
luerit; si inquam, manifeste adversus
vitia illa processerit quibus sese illi sen-
tendo obligatos, dissimulant et avertunt
oculos cordis, aut qualibet adinventione
palliant vitia et seducunt miseri semet-
ipsos. In his ergo salutis signa non vi-
deo, magis autem vereor ne forte pro-
pterea non audiant verbum Dei, quia non
sunt ipsi ex Deo. In vobis, fratres, Deo
gratias, vere invenio aures audiendi:
nimirum cum in emendatione vestra sine
mora appareat fructus verbi, sed etiam
inter loquendum, fateor, nonnumquam
sentire mihi videor fervorem studii ve-
stri. Etenim quanto abundantius sugitis
tanto amplius replet ubera mea dignatio
Spiritus sancti: et tanto copiosius
datur quod propinam vobis quanto ci-
tius quod propinatur hauritis. Propter
ea saepius loquor vobis, etiam praeter
consuetudinem ordinis nostri. Scio enim
quis dixerit: *Si quid supererogaveris, cum*
rediero, reddam tibi.

1145. Initium Septuagesimae, fratres, hodie
celebratur, cuius nomen in universa Ec-
clesia celebre satis habetur. Iam vero
dico vobis, charissimi, quia plurimum
in hoc nomine compatior mihi ipsi. Com-
moveretur enim intra me spiritus meus,
suspirans nimirum ad patriam illam in
qua nec numerus est, nec mensura, nec
pondus. Quamdiu enim in pondere et
mensura et numero universa corporis et
animae bona recipio? Quanti mercenarii
in domo patris mei abundant panibus,
ego autem hic fame pereor! Nam de cor-
porali cibo ad Adam dictum est, et per-
venit usque ad me: *In sudore vultus tui*
vescetur pane tuo. Sed et cum laboravero,
panis datur mihi in pondere, potus in
mensura, pulmenta in numero. Et de
corporali quidem sic. Quid vero de spi-
rituali? Utique antequam comedam su-

spiro: atque utinam, cum suspiravero
et flevero, vel fragmentum exiguum me-
rear de coelesti convivio, et tamquam
catellus edam de micis quae cadunt de
mensa dominorum meorum. O Ierusa-
lem civitas Regis magni, qui te ex adipe
frumenti satiat, et quam fluminis impe-
tus laetificat! in te nec pondus utique,
nec mensura, sed satietas est et affluen-
tia summa. Sed nec habes numerum,
quippe cuius participatio eius in idipsum.
Ego vero, qui totus sum in vicissitudine
et numero, quando veniam ad unam il-
lam quam requiro? Quando satiabor ap-
parente gloria tua, Domine? Quando
inebriabor ab ubertate domus tuae, et
torrente voluptatis tuae potabis me?
Nunc enim tam exigua sunt stillicidia
stillantia super terram ut nec glutire qui-
dem possim salivam meam.

Sic omnino, sic verum est, fratres, 1146
quoniam modo omnia dantur in pondere
et mensura et numero: sed venit dies
quando omnia sunt cessatura. Nam de
numero quidem legimus quoniam *sapientiae*
illius non est numerus. Et alio in loco
apud eundem prophetam: *Delectationes*
in dextera tua usque in finem. Audi etiam
apud Apostolum pondus sine pondere:
Supra modum, inquit, in sublimitate aeter-
num pondus gloriae. Audi pondus aeter-
num: sed attende quia praemisit, *su-*
pra modum. Sic et Christum audio men-
suram sine mensura promittentem: *Men-*
suram, inquit, conferam et coagulam et
superfluentem. Sed quando venient ista?
Profecto in fine praesentis Septuages-
imae, quod est tempus captivitatis nos-
trae. Sic enim legimus quod captivi-
tati a Babyloniis filii Israel terminum ac-
ceperunt annorum septuaginta: quibus
transactis, redierunt in suam, cum in-
stauratum est templum, et civitas reedi-
ficata. At vero captivitas nostra, fratres,
quando finietur, quae tot annis, ab ini-